Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift

137

garitas. et per margaritas. unam emite margaritam. state in uiis et querite uiam. Non dixit dimittite uias. sed state in illis uiis et querite uiam christum. cui sit gloria in secula seculorum amen.

Alia omelia in Iohannem evangelistam.

DE IOHANNE DICITUR

fuit homo missus a deo. Vide quae sit distantia inter deum et hominem. De deo. In principio erat uerbum. et uerbum erat apud deum et deus erat uerbum. Videte quomodo piscator indoctus nouum uerbum proprietatis dixit. sic de deo. in principio erat uerbum. Quae iam locuti sumus. neque non possumus eadem replicare. de homine uidete quid dicat. Fuit homo missus a deo. Videte quid dicat. fuit. de filio dei. erat de homine. fuit de deo dicitur. In principio erat uerbum. de dei filio uerbum. de homine uidete quid dicitur. fuit homo. Quia ergo homo postea missus est a deo. cui nomen erat Iohannes. gratia comprehenditur in homine. Iohannes non interpretatur domini gratia. Io enim dicitur domini. anna dicitur gratia. Cui nomen erat Iohannes. Vere ΦΕΡΩΝΥΜΩΣ (feronimos). Quare ΦΕΡΩΝΥΜΩΣ. Quia maiorem accepit gratiam. propterea in heremo philosophatur. et reseruat se in aduentum christi. Quia nunciaturus erat christum. statim in heremo nutritur. statim ibi crescit. non uult cum hominibus conuersari. in heremo cum angelis philosophatur. Nouerat christum Iohannes semper esse uenturum. et non solum nouerat eum ab infantia. sed et in utero matris christum nouerat. et iam eum salutauerat. Denique scribitur. Exultauit infans in utero matris suae. Vide quomodo in utero matris constitutus sensit aduentum domini. Considerate monachi dignitatem uestram. Iohannes princeps noster est dogmatis.